

De Civitatibus Foederatis

Multos ante annos patri meo Civitates Foederatae erant visitandae propter munus in societate chimica: ad conventum chimicorum Angelopoli erat invitatus cui centeni hominum ex omnibus partibus orbis terrarum intererant. Aegre et invite id iter suscepit, Civitates Foederatas propter patriae amorem immoderatum haud magni aestimans.

Eo conventu hymno patrio Civitatum Foederatarum incohato omnes sodales ex sedibus surrexerunt, et pater numquam sibi ipsi ignovit ut ea occasione non in sella resedisset. Post reditum in Germaniam se numquam iterum illam nationem visitaturum esse constituit, preces matris recusans quae curiositate capta illam partem terrae visitare cupivit.

Patre mortuo David et ego matrem ad Neo-Eboracum visitandum invitavimus. Inter volatum, ante adventum in Civitatibus Foederatis formularium nobis erat explendum ut intentiones nostrae aperte in lucem proferentur: num essemus sodales alicuius societatis clandestinae et seditiosae? Num umquam impetui seditioso interfuimus? Num praesidem illius civitatis necare cuperemus?

Mater haesitavit cum munus patris sui sibi esset indicandum: utrum in Civitates Foederatas admitteretur si patrem eius praefectum fuisse in exercitu Germano inter bellum alterum omnium gentium patefaceret? David risit: ut scriberet patrem eius fuisse veteranum – Americanis amore militum captis nemo curaret quando et in quo bello pater pugnavisset.

In aeriportu Neo-Eboraci magistratus quidam nostra documenta perscrutans Davidem rogavit qui essent comites eius et ad quem finem iter in Civitates Foederatas susceperemus. David se una cum uxore et socru Neo-Eboracum petiturum esse dixit. Incredule et fronte contracto is magistratus eum perscrutatus est: *Bene intellego te profecto cum socru iter suscipere? Cur?*

Mater mea linguae Anglicae inscita sed verba illius praefecti recte coniciens se irasci simulavit usque nos omnes illo spectaculo socrus horribilis exhilarati cachinnum sustulimus. Denique sine ulla difficultate ad Civitates Foederatas admisi sumus.